

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

*ASCITE ABDOMINALI;*

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GEORGII BAIRD, SS.T.P.

ACADEMIAE EDINBURGENAE PRAEFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI Consensu;

Et NOBILISSIMAE FACULTATIS MEDICAE Decreto;

*PRO GRADU DOCTORIS,*

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini subjicit

THOMAS FITZPATRICK,

*HIBERNUS.*

SOCIET. REG. PHYS. EDIN. SOC. HON. PRESESQUE ANNUUS:

NECNON OLIM

SOCIET. HIBERN. MED. SOC.

Ad diem 24. Junii, horâ locoque solitis.

---

EDINBURGI:

EXCUDEBANT C. STEWART ET SOCII,

ACADEMIAE TYPOGRAPHI,

---

M DCCC I.



VIRO,  
REVERENDO ERUDITOQUE ADMODUM,  
GULIELMO HALES, D. D.  
RECTORI DE KILLISHANDRA,  
IN COMITATU CAVINIENSI;  
COLLEGII  
SACRO-SANCTÆ ET INDIVIDUÆ TRINITATIS  
DUBLINIENSIS  
OLIM SOCIO:  
NEC NON  
LINGUARUM ORIENTALIUM IBIDEM  
QUONDAM PROFESSORI;  
CUJUS AMICISSIMÆ TUTELÆ,  
ET BENEFICIORUM AB EO COLLATORUM,  
NUNQUAM SE IMMEMOREM FUTURUM ESSE  
PROFITETUR;  
TENTAMEN HOCCE INAUGURALE  
SACRUM ESSE VULT  
THOMAS FIZTPATRICK.

VIRI

REVERENDO ERUDITIQUE ADMODUM

GUILIELMO HALLI, D.D.

RECTORI DE WINDHAM

IN COMITATU CAVENDISHENSIS

THE LION COURT OFFICE, LONDON, AND PARIS

SACRO-SANCTE ET INDIVISIBILI TRINITATI

IN HONOREM ET MEMORIAM

DUBII VIRI

OLIM SOCI

AGRI

Digitized by the Internet Archive

in 2020 with funding from

Wellcome Library

CURAE AMICISSIMAE TUAE

ET REVERENTISSIMAE COLLEGIUM

MEMORIAM BEI IMMENSEM TUDUM ERIT

PROFITUR

TRITAMEN HOC IN AUREA

SACRUM EST VEST

THOMAS FULTON

---

Bolster'd with down, amid a thousand wants,  
Pale Dropsy rears his bloated form, and pants;  
" Quench me, ye cool pellucid rills ! " he cries,  
Wets his parched tongue, and rolls his hollow eyes.  
So bends tormented Tantalus to drink,  
While from his lips the reflux waters shrink;  
Again the rising stream his bosom leaves,  
And thirst consumes him 'mid circumfluent waves.

DARWIN'S BOTANIC GARDEN.

---

~~CHAPTER I~~

Albion with down, and a the end water,

The Droyly tears his blasted corn, and part

"Quench me, ye cool bellows, till!" he cries

As his parched tongue, and rolls his hollow eyes

So hands tornated Tantalos to drink,

While from his lips the robbard waters shrink;

Again the ring breaks his golden leaves,

And still contained his soul's disenchanted waves.

DARWIN'S BOTANIC GARDEN.

~~CHAPTER II~~

And of the fragments of the

leaves, medicine extracts often for the night

renewed arrangement, upon the

leaves, that the motion had the

capitulum catharticum ex Arcaea part: 7-10

to discover the infant, the

to discover, and the

to discover the

to discover the

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

*ASCITE ABDOMINALI.*

---

AUCTORE THOMA FITZPATRICK.

---

**I**NTER varios, qui numerantur morbos, pauci sunt, qui tam ob frequentiam, tam ob lethales effectus, medicam exercentis artem seriam magis merentur attentionem, quàm abdominalis Ascites. Antiquos morbum hunc ferè immedicabilem existimâsse ex Aretæo patet: “ Δια-  
“ διδρήσκουσι γάρ, inquit, τόδε πάγχυ παῦροι ἐπ’  
“ εὐτυχίης, καὶ θεῶν μᾶλλον ἢ τέχνης. ” Ex quo tamen adinventa fuerint circulantia et absorbentia genera, hanc rem multùm elucidan-

A

tia,

tia, nullum qui curari non possit morbum existere, morbisque, qui notos medicæ artis limites transgredi videntur, certa quæ in lucem profert ætas dari remedia opinari forsan licet. Si de omnibus hydropis generibus tractarem, opus fortasse ultra legem tenderem; differere igitur tantum de hac specie decrevi, quæ à Culleno celeberrimo concinnè et eleganter definitur his verbis: “ *Ascites, (abdominalis), cum tumore æquali totius abdominis, et cum fluctuatione satis evidente.* ”

### MORBI HISTORIA.

Ascites morbus est sæpe idiopathicus, non nunquam symptomaticus, vel aliis supervenit morbis, quales sunt febres intermittentes, scrophula, scorbutus, hepatitis, icterus aliique multum debilitantes morbi. Pedes cruraque morbi aliquando in initio, sæpe in decursu intumescunt, et distentio non rarò in principio ad totum sese extendit abdomen, communiter in hypogastrio



se prodit. Incipiente jam morbo, sæpissimè tamen ingravescente, tussis sicca et dyspnœa se ostendunt, et horizontaliter decumbente ægro insomnia et suffocationis sensus excitantur. Haud toleranda premit fitis; casus verò occurrunt, ubi non ægrum magis quàm sanum urget. Cibi desiderium valdè imminuitur.

Aeger cruciatur canalis alimentarii molestissimâ inflatione. Morbi ab initio urina tam parcè redditur, ut assumpta nequaquam adæquet liquida, crassiorque modò fit, et rubida, sedimentum lateritium deponens. Pulsus magis frequens, et debilis, aliquando tardior quam naturalis evadit. Expertissimus medicus Rush pulsum plenum, durum ac frequentem multò sæpiùs quàm plerique existimant hydropem comitari dicit; atque ut hoc nobis demonstret, inter cætera Zimmermanni testimonium affert, qui pulsum plenum durumque, in hydrope qui Prussiæ regis vitæ finem imposuit, invenisse dicitur; certiores autem nos facit, illum ipsum sæpenumerò hujusmodi pulsum in omnibus hydropis speciebus comperisse.

comperisse.\* Fit arida cutis, et difficillimè perspiratio promovetur. Alvus per totum ferè morbi cursum astringitur, quamvis exempla non defint ubi diarrhœâ æger laborat. Tumor augefcit, et æquè per totum abdomen diffunditur. Distentio et ponderis sensus, licèt magis magisque percipiantur, pro diverso corporis situ non nihil variantur; ponderis enim sensus, ab eâ parte quâ decumbit æger, magis quàm ab opposita sentitur. Cùm morbus huc usque processerit, in omnibus ferè ascitæ exemplis, aquam fluctuare sentimus, si uni lateri manum admoveamus, dum altera oppositum leniter percutimus; hæcque fluctuatio non rarò ab ægro, dum in lecto mutat situm, clarè percipitur. Nunc ægri vires magnoperè deficiunt; muscoli difficillimè contrahuntur; somnolentia, quâ defatigari magis quàm refici videtur, eum invadit; nunc pallor, nunc lividitas vultum occupant.

Aliis aliisque in exemplis morbi variat duratio;

\* Rush's Medical Enquiries, vol. ii.

tio ; dolores sæpe in epigastrica regione acerrimi et excruciantes, et hectica quandoque febris optatam inducunt mortem. Coma nonnunquam, animi deliquium, vel apoplexia supervenientia, dum hydropicus imminuitur tumor, vitæ imponunt finem.

## DIAGNOSIS.

Ascites a tympanite sequentibus dignoscitur signis: nulla in tympanite percipienda fluctuatio; abdominis integumenta æquabiliter distenta haud facilè pressui cedunt. Abdominis tumor anteriorum magis quàm ad latera vergit, nec habitâ ratione voluminis, tantum ponderis habet. Tympani ad instar sonum abdomen emittit percussum. His denique signis adjici potest, quòd in ascite, rarissimè verò in tympanite, tumescant pedes.

Graviditatem inter et asciten, quantum sit discriminis, ex mensium suppressione, nausæâ, mammarum

marum tumore, fitis absentiâ, et fœtûs præsertim agitatione liquidò evincitur.

An in abdominis cavo diffundatur aqua, vel in hydropis faccis includatur, fecernere perdifficile est. Nullus fortasse nobis est hoc efficiendî modus omninò certus in cunctis morbi exemplis; in multis autem aliquod de hac re judicare possumus. Cùm nullus cachecticus corporis status præcesserit morbum, et cùm tumor et dolor, uni potius quam alii insident loco; si cibi desiderium haud valdè imminuitur; si non multùm urgeat fitis; si macie non tabescat corpus; si fæminis more solito profluant menstrua, argumenta hæc nobis sunt, cur hydropem faccis includi suspicemur.

#### CAUSÆ PRÆDISPONENTES.

Hujusmodi sunt omnia, quæ corporis tonum et vigorem imminuunt, aut quæ causarum excitantium actionem faciliorem reddunt. Inter varia,  
 quæ

quæ hos edunt effectus, recenferi possunt senectus, solidorum nimia laxitas, frigidum cælum vel humidum. Clar. Monro dicit, “Hollandiæ incolæ hydropi magis esse proclives, quàm qui vitam sub sereno et puro Jove degunt.” \*

Prædictis addi potest liquorum spirituosorum immodicus usus. “Hi nimis enim excitando sæpe nocent, generi nervoso imprimis inimici sunt, et ventriculo, et jecori; unde infirmitas generalis, et dirus et insanabilis hydrops, vel ab hac vel ab obstructionibus viscerum, quas liquores isti gignere solent. †” Inter causas etiam enumerandi sunt; menses minus constantes et regulares; sanguinis præcipuè nimia evacuatio; narcoticorum, veluti theæ et coffeæ usus nimius; defatigationes; affectus animi deprimentes; diæta parca vel minus nutriens; vita otiosa et sedentaria; morbi denique antecedentes. “Frequent

\* Monro on Dropsy.

† Greg. Conspect. Med. Theoret.

“quent relapses, (inquit Cl. Pringle,) brought  
 “on visceral obstructions, which made the in-  
 “termittents more obstinate and irregular, and  
 “to terminate in dropsy.” †

### CAUSÆ EXCITANTES.

Inter causas excitantes enumerari potest, quod-  
 cunque partes sanguinis serosas, sive in cellularem  
 membranam, sive in corporis cava, majori im-  
 pellit quantitate quàm quæ absorberi possit.

Causæ precipuæ exhalationem afficientes, sunt  
 sequentes; si reditus sanguinis venosi a vasculis  
 corporis extremis interpellatur; sanguis in tran-  
 situ ab arteriis in venas interclusus, vim sangui-  
 nis arteriosi in exhalantibus auget, unde fluidi  
 emissi quantitas fit necessario major. Hæc omnia  
 quandoque cordis ipsius statui attribui possunt;  
 hinc dextri cordis ventriculi polypus; valvulæ  
 ejus

† Vide Pringle's Diseases of the Army.

ejus in substantiam osseam conversæ; obstructiones pulmonum graves et permanentes, hydrope[m] præstare repertæ sunt. Sanguis etiam in venis singularibus interruptus, exhalationem sæpiùs auget. Hepatis quoque obstructiones, splenis vel mesentericæ, causa hujus morbi frequens admodùm existunt; frigus corpori calefacto præfertim adhibitum, talem excernentium vasorum inducere potest constrictionem, qualis impediatur, quominus habitus consuetus per cutem ritè perficiatur; hincque fit quòd pars sanguinis superflua in cavitate aliquam effundatur. “ Aliquis forsan ex-

“ istimaret, quòd feri nimia abundantia, faciliùs

“ per renes viam quam per arterias exhalantes

“ inveniatur, fluidorum adinstar in sanis et benè va-

“ lentibus. Sed cum perfectè oxygenati sanguinis

“ stimulus abest, uti in pallidis, languidis, et hy-

“ dropicis videre est, renes torpescunt, motus

“ eorum cessat vitalis, et parcè excernitur uri-

“ na. || ” Morbi ventriculum afficientes, cum decoctionem impediunt, sanguinem glutinis quan-

B

titate

titate justâ privant, dum interea pars aquea superstes per exhalantia effunditur. Haud improbabile videtur, vasa lymphatica rupta sæpius hunc effecisse morbum. Quinetiam constat, quod renum ruptura, vel erosio urethræ, vel vesicæ urinariæ, ascitem procreaverint.

Sanguinis impetus in arteriis auctus, exhalationem augere potest: ab ictu vehementi testes inflammantur, ac deinde hydrops tunicæ vaginalis induci potest. Postremò exhalantium laxatio, quod perspicuum est in membris paralyticis, ubi talis existit laxitas, et ubi sæpe tumores œdematici obtinent, morbum inducit.

Nunc de causis imminutæ absorptionis differendum. Cum auctore quodam asserere non auderem, absorbentium actionem non imminui;  
 “ Sicut in hydropicis vasa lymphatica (inquit)  
 “ et thoracicus ductus ampliantur, evidens est ab-  
 “ sorbentia augeri, non eâdem tamen quâ ex-  
 “ halantia augentur ratione, et propterea hy-  
 “ dropis



“ dropis causas ab exhalantibus derivari. † ”

Licet fibras musculares in absorbentibus nondum detexerint anatomici, non inde sequitur quòd tales minimè existant; quoniam irritabilitatem, quæ solis fibris muscularibus propria est, possidere inveniantur: his addatur quòd auctà earum vi, hydropici curentur. In paralyfi vis eorum minuitur, et debilitas illa generalis, quæ in vasis exhalantibus laxitatem inducit, toni defectum in absorbentibus gignit.

Sunt qui existimant, obstructions glandularum lymphaticarum huicce morbo causam præbuisse; attamen non constat talem obstructionem inter hujus morbi causas ritè enumerari. Rami etenim lymphatici inter se sæpe communicant; fieri igitur non potest, ut unius vel plurium glandularum obstructio hunc morbum producat.

## CAUSA

† Townsend's Guide to Health.

## CAUSA PROXIMA.

Exhalationem adauctam, absorptionem imminutam, vel utramque simul, causam esse proximam perspicuum est.

## RATIO SYMPTOMATUM.

*Artuum inferiorum tumores.* Cùm hoc signum morbo recenti se ostendit, debilitati vasorum attribui potest; cùm verò morbo proVectiori contingit, ad venæ cavæ, vel venarum iliacarum compressionem referendum est.

*Tussis et Dyspnæa,* quæ aliquando morbi sub initium apparent, à debilitate corporis universi, vel muscutorum et organorum, quæ respirationi subserviunt, originem ducunt: cum verò in gradibus morbi proVectioribus occurrunt, ab aquarum mole diaphragma premente, et thóracis cavitate

vitatem coarctante proficiscitur. Igitur comprimuntur vesiculæ aëriferæ, et respirationis munera ægrè absolvuntur; tussis ab hac irritatione oritur.

*Cutis arida, sitis adaucta, urina parca.* Hæc symptomata ab uno fonte, originem trahere mihi videntur, ab aqueis nempe ac tenuioribus humoribus ad abdominis cavum versis; hinc secretio in aliis minuitur partibus.

*Appetitus imminutus, digestio tarda, alvusque astricta.* Hæc, à debilitate totius corporis, et præsertim ventriculi oriuntur.

*Pallida facies.* Duplex imprimis videtur esse origo hujus symptomatis.

*1mo,* Quia nimia præ cæteris sanguinis partibus est aquosi laticis copia.

*2do,* Quia fluida ab externis ad internas partes refluunt. Vel fortasse tribui potest oxygenii in  
systemate

systemate defectui: livor autem a sanguinis in capite accumulatione venit.

*Febris Hæctica.* “ Si aqua effusa acrior deveniat, hujusque particulæ absorbeantur ac cum sanguine misceantur, partes vicinæ injuriam patiuntur et febris inducitur. † ” Dolores acerrimi ab eadem causa forsan oriuntur.

### PROGNOSIS.

Hæc cautissimè proferenda est, cùm symptomata hujus morbi adeo sunt fallacia ut multi, qui jam convalescere videntur, subito morte rapiantur; si symptomata tamen haud diu persisterint; si ægri non admodum infringantur vires; si parùm accumuletur aqua; si dyspnœa et tussis non urgeant; denique si junior sit æger, fausta augurari licet. Contrà, si æger ætate provecior est, et vires vitæ multùm fractæ sunt; si ab organi-

cis

† *Monro on Dropsy.*

cis affectionibus cordis, pulmonum vel hepatis pendet malum; si diu perstiterit, tum periculum certè magnum, et sanitatis redintegrationis spes parvæ sunt.

### METHODUS MEDENDI.

Ex his, quæ hucusque de hoc morbo differuimus, hæc tria sequuntur consilia. Primum, causas tollere remotas. Secundum, aquam jam collectam evacuare. Tertium, systemati vigorem et tonum reddere.

Quantum ad primum attinet consilium, à causis morbi remotis sedulò abstinendum; ut si (exempli gratià) morbus ab intemperantia et inertia profluxerit, ægotantem summà ope niti dicet ut eas in posterum effugiat. Non rarò accidit ut ascites ab hepatis obstructione oriri inveniatur; in tali casu hydrargyrus remedium optimum est.

Ad

Ad secundum efficiendum, multa, de quorum precipuis differere volo, in usu sunt remedia.

*Emetica.* Hæc cl. Sydenhamus præ cæteris commendat. “ Per vomitus (inquit) solvuntur  
 “ cuncta tanacia, concutiuntur obstructa, expel-  
 “ lantur stagnantia, unde in hoc morbo mirabili-  
 “ ter profunt. † ” Sanguinis per abdomen promovent motum; viscera stimulant, et resorbentium actionem excitant. Nec reliqua desunt exempla ubi vomitione spontanea, sine ullo artis auxilio, ascites fuerit sublatus; inferre igitur licet, quod arte excitata, eosdem etiam effectus præstare possit. Inter varia, quæ laudantur vomitoria, potentiora sunt, quæ ex antimonio præparantur, zincum vitriolatum, cuprum vitriolatum, et hydrargyrus vitriolatus flavus. Hæc tamen cautè admodum administranda, et nec ubi corporis habitus debilitatur, vel facilè irritatur, adhibenda sunt. Emetica mitiora sunt scillæ, ipecacuanha, &c.

*Cathartica*

† Sydenham de Hydrope

*Cathartica drastica*, multùm a Sydenhamo laudabantur, qui usum cathartorum mitiorum reprobavit, et hæc nocere potiùs quàm prodesse dicit ||. Nunc autem satis constat cathartica mitiora bonos edere effectus. Chrystalli tartari præsertim sæpe per se hydropem sanârunt. Medicus Ferriar refert, ex quadraginta tribus hydropicis, hujus remedii ope triginta tres fuisse sanatos; observat quòd quò citiùs effectus producit catharticus, eò copiosior redditur urina. Cathartica mitiora priùs tentari debent, et si hæc non valeant, ad drastica decurramus oportet. Cathartorum drasticorum præcipua sunt, helleborus niger, gambogia, scammonium, elaterium, jalapa, &c. mitiora sunt sales neutrales, cassia, manna, &c. Cathartica drastica, mitioribus conjuncta, cum magna utilitate præscribuntur; sicut jalapa chrystallis tartari adjuncta; itemque drastica inter se composita, sicut jalapa cum gambogia, etiamque cum calomelane. Considerandum tamen est, si aquam non citò expellant, vel absorptionem excitent, vel symptomata

C

mitigent,

|| Sydenham de Hydrope, p. 485.

mitigent, usum eorum continuum corpus admodum debile reddere. Cavendum quoque est ne intestinorum inflammationem moveant.

*Diuretica.* Cùm per renes, humoris serosi portio non exigua, quæ in sanguine continetur, exitum naturalem sibi aperiat; excretionem auctâ, absorptio facilè movetur. Diuretica in hujus morbi curatione, ut remedia utilia, meritò sunt judicata; et præ aliis remediis hoc gaudent commodo, quod vires non debilitent. Nihilominus effectus eorum sæpe incerti sunt; hoc tamen aliquo modo remediorum numero compensatur.

*Scilla.* Hoc remedium ut præstantissimum jure meritò ab Hoffmanno laudatur, et à clar. Gregorio, multa, quæ bonos hujus remedii effectus probant, recensentur exempla. Duplex est modus quo præscribi solet, vel infusa, vel in substantia; si posteriori modo datur, minus est vomendi periculum: maximam autem affert utilitatem cum hydrargyro confociata; mane scilla,



et vesperi hydrargyrus est porrigendus: quoniam verò scilla in quacunque forma administrata, vomitum excitat, cautissimè eà utendum est; initio igitur parvæ sunt dandæ doses, quæ gradatim augendæ sunt.

*Cantharides.* Doctoris Carmichael Smyth experimentis, qui frequenter hoc exhibuit remedium, non multùm ob diureticas vires, ad hujus morbi medelam valere, clarè patet.

*Digitalis.* Diuretici hujus remedii effectus à multis, nullo verò tam clarè quàm a doctore Withering confirmantur; multis in casibus exitus faustissimi ab hujus remedii usu promanarunt. Negandum tamen non est, eam, non fecus ac alia ejusdem classis medicamenta sæpe spes nostras fallere. Ex viginti enim novem hydropicis à Doctore Ferriar recensitis, hujus medicamenti ope, undecim tantùm sanati leguntur; sed in plurimis exemplis adhibetur cum felici eventu. Non autem sine circumspectione maxima utendum est; haud enim longo tempore, effectus

fectus exitiosos ostendit. Quando in dosibus magnis vel sæpe iteratis, adhibetur, pulsus in modo mirabili, tardat; nauseam, vomitum et purgationem ciet; cephalalgiam, vertiginem et visûs affectiones excitat; sudores frigidus, convulsiones, syncopen, et denique mortem ipsam inducit. Parvis dosibus igitur primùm incipiendum est, quas gradatim augere debemus.

*Nicotiana, Lactuca virofa, et Colchicum autumnale*, à multis medicis ob prosperos eorum effectus commendantur; interim dolendum dari medicos, qui rarissimè citant casus, in quibus medicamenta, quæ laudant, in efficacia evadunt. *Lactuca virofa*, Doctor Collins inquit, ex viginti quatuor hydropicis, omnes, uno excepto, hoc medicamento sanatos esse.

*Opium*, ut remedium diureticum habetur; hunc effectum aliquando præstare, casus a Doctore Moorhouse relatus in dissertatione inaugurali satis evincit.

*Sales alcalini et neutri* sæpe commodè administrati sunt. Omnibus autem medicamentis salinis præstat tartarus purificatus; purgat, urinamque provocat, et iis casibus, ubi sunt glandularum obstructions, vel magnus cutis calor, apprimè respondet.

*Diluentia.* Cùm diluentium utilitas, à clar. Culleno et Milmanno sit jam stabilita, plura hac de re dicere superfluum foret.

*Diaphoretica.* Antiquis æquè ac hodiernis maxima in laude hæcce fuerunt remedia. Ea valdè commendat Celsus. Et Dampier, in itineribus suis maritimis, narrat, se in insula California hydrope laborasse, et seipsum arenâ calidâ obduxisse per horam integram; deinde ad lectum vectus multis pannis tegebatur, unde sudor copiosus evocatus est, postea indies se meliùs habebat. Pulvis ipecacuanhæ compositus, optimum remedium diaphoreticum præbet. Remediis autem sudorificis objectum est, sudorem profusum

profusum ægri vires magnoperè frangere, itaque nocere potiùs quàm prodesse.

*Sialogoga.* Inter diversa hujus generis medicamina, five in pilulis, five per unctiõnem, adhibita, hydrargyrus primum tenet locum.

### PARACENTESIS.

In quibus ascitæ statibus hæcce operatio feliciori successu adhibenda sit, determinare difficile est. Notare verò debemus pessimos sæpe effectus aquæ subitam evacuationem producere. Veteres quidem de nescio quo spiritu cum aqua effluente, hosque effectus inducente somniârunt; ideoque aquam repetitis vicibus ex asciticis eduxere. Meadius † autem, anno 1705, hos à sola subitò ablata pressura pendere demonstravit. Si viscera nimium obstructa ut plerumque accidit, ubi morbus provectior fit, curatio, nequidem  
permanens

† Mead. Mon. Med. cap. 8.

permanens levamen expectanda. Quatenus verò remedium est, quod haud multùm sequitur periculum, et ægri vita inde producitur, plerisque in casibus adhiberi potest.

Laudibus quàm maximis in morbo hoc venæsectionem Doctor Rush commendat, qui sæpe hanc necessariam et felici cum eventu adhibitam comperisse asserit; quædam etiam nobis exempla refert, in quibus hemorrhagia spontanea finem morbo faustissimum imposuit. Non mei forsitan est, utrum hoc remedio in hisce nostris regionibus tuto uti possimus an non pro certo affirmare. Sagacissimus verò doctissimusque hujus almæ academix Professor mihi semel dixit, nunquam se exemplum testatum esse, in quo ad venæsectionem, sine maxima injuria, recurrere potuit.

CORPORI

## CORPORI VIGOREM RESTITUERE.

Postquam remediis modò enumeratis, aqua hydropica evacuata est, tum systematis tonus reducendus. Nullus enim existit alius morbus, cujus reditus hoc facilius invenitur. Quæ huic indicationi maximè inserviunt, ea sunt diæta nutriens, exercitatio, \* frictio et tonica.

*Exercitatio*, vitales adjuvat functiones, perspirationem præsertim promovet, unde fit, ut ne in corpore accumulentur fluida impediatur; remedium proinde est in hoc morbo utilissimum, et omni, quo ea uti possit modo, ab ægro adhibenda.

Cibus

\* Hydrops ascites sanatus a labore assiduo, sine ullis medicis auxiliis. Marcell. Donat. hist. mirab. lib. i. cap. 21.

Cibus nutriens, et simul concoctu facilis esse debet. Hujusmodi sunt carnes, atque panis benè fermentatus. Potus corroborans fit oportet, sicut vinum modicè dilutum, cerevisia fortis, Anglicè *Porter* dicta.

Tonica remedia, velut cortex Peruvianus, chalybeata, amara et aromatica toti corpori, sed præcipuè ventriculo, tonum restituerunt.



